



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

X [i. e. IX]. Vltima Melanchthonis verba, & obitus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

significat corpus meum, Melanchthon ait. *Hæc est communio mei corporis.* (a) Hinc Lutherani & VVigandini dicunt, quemadmodum Aaron olim vitulum aureum Israelitis, ita Philippum nouam idolatriam Germanis proposuisse, multisque persuasisse. Quin plures qui antea nomen ipsius autum non adorabant; doctrinam postea ipsius multis in articulis vellicare non dubitarunt. Accusatur ab Heshusio, ab Ebero defenditur. Prodeunt multæ passim Philippicæ, partim in honorem eius, partim in vituperium. Eundem Zanchius in Miscellaneis reprehendit, & doctrinam in quibusdam articulis refutat: vt & Simlerus in vita Petri Martyris; nec non VVigandus & Gallus, qui Aaroni Philippum comparant, Hierosolymæ VVitebergam, dicentes: Inde tenebras ortas & diffusas esse, vnde primum lux emicuerat. Prophetas quidem Hierosolymis progressos: sed & ex eodem loco impostores. Neque hoc ita de VViteberga mirum videri debere, quum Philippo idem ibi euenerit, quod Aaroni Hierosolymis. Sic illi de altero hoc Prophetal quonitur. Beza postquam Melanchthonem ad cælum laudibus extulisset, ait, hoc vnum ipsius deesse laudibus, quod à quibus viuens cultus ac pæne adoratus sit, ab eis iam mortui nomen per summam ingratitude lacereur atque conculcetur. Idem Phœnicem alibi appellat, qui postquam ad cælum euolarit, omnem concordiam in Dei Ecclesia spem secum abstulerit. Quamuis hic idem Beza cum Vireto in Germaniam, petendi inde rebus & dissidijs suis auxilij causa, profectus, in VVormatiensi Colloquio Melanchthonis inconstantiam & pusillanimitatem vehementer est admiratus.

IX. Scribunt nonnulli Melanchthoni iam animam agenti matrem grandævam astitisse, hisque ad eum verbis vsam: (b) *Mi fili, extremum iam me fortasse tu vides, vtpote iam iam, vt videtur, è mundo discessurus, Et coram magno illo iudice eorum qua fecisti rationem redditurus. Tu scis Catholicam me fuisse, me que à te vt religionem mutauerim, & diuersam ab ea quam maiores mei sequuti fuerunt, amplexa sum, inducendam. Nunc te ego per Deum viuum adiuro, vt quam melior sit, mihi dicas, neque quid hac in re me celes.* Tum Melanchthonem clara voce, vt ab omnibus intelligi posset, dixisse: *Hæc plausibilior, illa securior.* Sic Melanchthon vt in omni sua vita, sic in mortè quoque dubitauit. Peucerus narrat, quum paulo ante mortem testamentum conderet, sibi cum dixisset, si vires sibi suppetituræ sint, suam se de Sa-

cramento Eucharistiæ sententiam in vltima sua voluntate scripto consignatam relicturum. Quod si fiat vt supremam manum imponere non possit, è scriptis suis ac præsertim duabus epistolis ad Electorem Palatinum & Ioannem Cratonem Imperatoris Medicum, satis eam intelligi posse. Deinde velut alterum Paulum, suos monuisse, vt earum traditionum memores sint, quas viua voce ipsis tam priuatim quam publice reliquisset. Sed de hoc homine satis: de quo etiam nonnulla quando de Franciæ schismate ageretur, attingam. Et ille quidem in eo vnice elaborauit, vt immoderatos animi in Luhero affectus cohiberet; (c) eoque mortem illius minus ægre tulisse putatur, vt qui tyrannide eius, cui, vt ipse fateatur, tamquam mancipium & adulator, seruilem in modum seruiebat, liberatum se esse, etiam sibi gratulareretur. Cochlaus ad Imperatorem Carolum V. scribens, ait, Lutheri nomen quidem præualuisse, at Melanchthonis non minus ad stabilendam hæresin, cuius alter auctor fuerat, momentum attulisse. Nam quum esset ingenio vasto & acuto, atque in Grammaticæ Dialecticæ ac Rhetoricæ rudimentis compertior stilo exercitatus, magnam vbiq; e per Germaniam in scholis acquiritus est gratiam & fauorem. (d) Vnde etiam factum est vt iuuenturem præsertim ætate incautam, & natura ad malum quam ad bonum propensiosem, immo multos doctos sophisinarum suorum subtilitate ad partes suas adiunxerit. Sed quid Melanchthonis in constantem & dubiam mentem admiramur? quum Lutherus ipse, Carolostadio & Zuinglio rem Sacramentariam turbare ac miscere incipientibus, non minus hæsitavit, vt sequenti capite ostendam.

QVAM IN MVLTIS LVTHERVVS  
sibi ipse aduersetur: & quam ille sententiam  
contra Sacramentarios pronun-  
ciat.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

I. *Inter erroneas opiniones perpetua sunt digladiationes & contentiones.*

II. *Lutherus*

a *In assert. cons. Louani.* b *Morus lib. 2. de Miss. Franc. Montan. in Ver. def.* c *Bez. in Creophag. Thom. Neogergum. sup. Psal. 26. Melanch. in ep. ad Cerloni. d Cochl. Phil. 7.*